



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio III. Quid dicendum de operibus satisfactoriis ex præcepto Confessoris?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

mutando ejus pœnam æternam in temporalem contulerat gratiam, & donum hoc peccatori, ergo dum illum punit in æternum pro pœnâ temporali, videtur Deum pœnitere gratiæ, & liberalitatis facte; Sed *donâ Dei sunt absque pœnitentia*, ut ait Ap. *Stolus: ergo &c.* Respondeo negando primam consequentiam: nam Deus jam remittendo peccatum, & pœnam æternam, contulerat gratiam, & hominem constituerat in statu, in quo, si vellet, posset hanc pœnam persolvere: Unde si postea homo suâ culpâ se constituit in statu, in quo non posset satisfacere, nec debuit pœnam persolvere, sibi imputet, qui cum antea posset, noluit debitam satisfactionem præstare.

45. Obijcies 4. Qui propter delictum meretur abscissionem manûs, cum primùm illi manus abscinditur, satisficitur, licet non sit in gratia Principis jubentis abscissionem, & hanc involuntariè patitur; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia homines, cum puniantur ad aliorum exemplum, non tam respiciunt ipsam compensationem intrinsecam, quæ etiam importat debitum modum compensationis, quàm quantitatem pœnæ pro quantitate culpæ: at verò Deus præcipuè attendit, & respicit ipsam compensationem intrinsecam importantem amicabilem patiendi modum, nempe ab amico, ut amico, ita ut, hoc deficiente, non detur satisfactio.

46. Dico 2. Opera bona facta in peccato mortali, & in tali statu liberè exercita, non reviviscunt quoad effectum satisfaciendi ex opere operantis, quando per pœnitentiam restituitur gratia. Ita *D. Thom. in 4. dist. 15. quest. 1. art. 3. quest. 3. D. Bonavent. q. 4. Palud. art. 3. quest. 4. P. Soar. tomo 3. in 3. part. d. 37. sect. 2. num. 7. P. Soar. Luffit. tract. 1. de Pœnit. d. 4. n. 422. & alii. Probatur primò, ex illo Joan. 15. 4. ibi: Sicut palme non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis: peccator autem non manet in Christo, ut patet ex 1. Joan. 1. 6. ibi: Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur; ergo &c. Et 1. Cor. 13. 3. ibi: Si distribuero in cibos pauperum: &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: prodesse autem opera illa, si vivificentur; ergo &c.*

47. Probatur secundo rationibus: Prima, quia talia opera fuerunt mortua, & non mortificata; sed per pœnitentiam sola opera mortificata, non ita verò mortua, reviviscunt; siquidem solum opera, quæ aliquando fuerunt viva, dicuntur reviviscere; sola autem opera mortificata fuerunt aliquando viva; ergo &c. Secunda, quia pœnitentia præsens non confert operibus præcedentibus novum valorem, sed tantum tollit obicem, ut habeant valorem illum, quem antea habebant; sed talia opera nullum valorem antea habuerunt, cum fuerint opera mortua; ergo neque postea illum habebunt. Tertia, quia ex Trid. supra. unum ex requisitis ad rationem meriti de condigno (idemque de satisfactione,) est, quod sit opus hominis existentis in gratia; sed pœnitentia, & gratia subsequens non efficit, quod opera mortua fiant in gratia, cum hæc præcedat ipsam pœnitentiam, & gratiam; ergo &c.

48. Oppones 1. Facilius est vivificari, quàm reviviscere; siquidem hoc est contra, illud verò secundum naturam; sed elemosinæ, & orationes in gratia factæ reviviscunt per pœnitentiam, ut supra diximus; ergo etiam factæ in peccato per eandem pœnitentiam vivificentur. Respondeo majorem esse veram in operibus naturalibus, sive Naturæ;

hæc enim facilius vivificantur, quàm reviviscunt: non ita verò in operibus supernaturalibus, quæ desumunt suam vitam à principio vivo per gratiam: cum autem opera mortificata, & non ita opera mortua, illud habuerint, ideo illa, non verò illa, vivificantur, & reviviscunt.

Oppones 2. Remotâ causâ, removetur effectus: sed causa mortis talium operum erat peccatum, quod per pœnitentiam removetur; ergo etiam removetur ejus effectus reddendi mortua ipsa opera; ac proinde hæc per pœnitentiam vivificantur. Respondeo causam, ob quam opera sint mortua, esse quod facta fuerint à principio mortuo, ac sine gratia: hæc autem causa non tollitur, quando postea advenit pœnitentia, & destruitur peccatum; siquidem ex eo, quod advenerit pœnitentia, & peccatum fuerit destructum, non tollitur, quod opera facta sint à principio mortuo, & sint in se opera mortua, sicque nunquam vivificantur.

Oppones 3. Ex D. Hieron. in cap. *Si quando de Pœnit. & remiss. dist. 3. ibi: Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemquam aliqua, quæ justa sint, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum; ex hoc autem videtur colligi, bona peccatoris opera per pœnitentiam vivificari; ergo &c.* Respondeo cum *D. Thom. 3. p. q. 89. art. 6. & P. Soar. cit. n. 9.* Deum recordari bonorum operum, quæ sunt in peccato, non in ordine ad vitam æternam, ut supra diximus *tract. 2. d. 2.* quo pacto de illis loquitur D. Paul. cum dicit: Nihil mihi prodest: sed in ordine ad alia: Primò in ordine ad bona temporalia de congruo merenda. Secundo ad humiliationem. Tertiò ad moderandum Inferni pœnam, non quidem minuendo eam, quæ peccatis aliis debetur, sed impediendo majoris reatum. Quarto ad impetrandum à Deo aliquod auxilium: præsertim si ex gratia fiant, juxta illud Proverb. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* Et Dan. 4. *Peccata tua elemosynis redime.*

Advertes hic *D. Thom. in 4. dist. 15. quest. 1. art. 3. quest. 2. ad 3. apud P. Soar. cit. num. 8.* distinguere inter opera pœnalia, quæ relinquunt in homine aliquem effectum perseverantem, ut elemosyna, quæ relinquit carentiam alicujus boni temporalis: & jejunium, quod relinquit corporis debilitatem: & inter opera, quæ talem effectum non relinquunt: de illis verò operibus, non autem de istis, dicit valere ad satisfaciendum, adveniente charitate, licet in peccato sint facta. Hanc tamen sententiam aliqui ejus discipuli non probant, & alii ejus mentem non explicant: explicat verò P. Soar. cit. dicens, solum habere locum, si velit Angelicus Doctor, ut effectus relictus, & postea in statu gratiæ voluntariè acceptatus, Deoque in satisfactionem oblati, adhuc effectum conferat; siquidem cum adhuc effectus ille existat, aptus est, ut homo justus per novum actum Deo illum offerat, & est dignus acceptance divina; ac proinde satisfactorius.

### SECTIO III.

#### *Quid dicendum de operibus satisfactoriis ex præcepto Confessoris?*

**H**ACTENUS diximus de operibus satisfactoriis voluntariè factis, & exercitiis; nunc de illis dicendum, quæ facta sunt ex præcepto Confessoris, qualis est

est satisfactio Sacramentalis, quæ dupliciter sumi potest: Primò, prout necessaria est ad integritatem Sacramenti: Secundò, prout necessaria est ad præstandum effectum, ad quem ordinatur: & in hoc sensu considerata est propria hujus loci: Utrum scilicet satisfactio Sacramentalis exhibita in statu peccati mortalis postea operetur suum effectum, recedente fictione, sive remisso peccato per subsequentem pœnitentiam?

53. Dico 1. Satisfactio Sacramentalis exhibita in statu peccati mortalis sufficit ad integrandum Sacramentum, & ad implendam obligationem à Confessore impositam. Est communis Doctorum sententia. Ita *P. Soar. tom. 4. in 3. part. d. 38. sect. 8. num. 1.* Probatur, quia Confessor solum præcipit opus, & non illius modum; ergo si pœnitens faciat rem sibi præceptam, & ita impositam, licet sit in statu peccati, exequitur quiddam præcipitur, & necessarium est ad integritatem Sacramenti, licet non recipiat fructum, & effectum talis operis satisfactorii, de quo tamen infra.

54. Hinc colliges primò cum *P. Vasq. P. Valent. P. Soar. cit.* satisfactionem Sacramentalem, etiam ex malo fine impletam, & cum peccato, ut si quis ob vanam gloriam impletet jejunium præceptum in pœnitentiam, valere ad implendum præceptum Confessoris præcipientis jejunium in satisfactionem pro peccatis sibi confessis. Probatur, quia per talem actum impletur primarius finis, propter quem Sacramentalis pœnitentia injungitur, qui ex *Trid. sess. 14. cap. 8.* est, ut sit in vindictam præteritorum criminum; sed per jejunium, etiam ex pravo fine exercitum, mortificatur, & debilitatur caro, qui est primarius finis intentus, propter quem à Confessario fuit impositum; ergo per tale jejunium impletur ejus præceptum.

55. Secundò colliges, non peccare mortaliter, qui statim pœnitentiam non implet, dummodò dilatio prudenti judicio non sit nimia, quam nimiam esse judicat *P. Soar. Lysit. tract. 8. de pœnit. d. 2. num. 94.* si protrahatur ultra annum, ut colligit ex *cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & remiss. ibi:* Et injunctam sibi pœnitentiam. Et nisi Confessor certum tempus designet, ut terminum executionis, ut cum præcipit iterum sequenti Mense confiteri. Si autem pœnitentiam absolutè imponat, & ita eam differat, ut jam non sit in statu gratiæ, quando illam implet, affirmant peccare mortaliter *Alens. 4. p. q. 85. memb. 1. Barbos. in Collectan. ad Trid. sess. 14. cap. 8. num. 5.* & ex parte *P. Soar. cit. num. 7.* dicens, licet practicè non sit, speculativè tamen videri peccatum mortale.

56. Melius tamen id negant *Sylvest. Sor. Palud. Adrian. P. Hurt. d. 14. diff. 14. P. Lugo de pœnit. d. 25. num. 30. P. Reginal. lib. 7. n. 84. Oivald. Bonac. q. 5. sect. 3. punct. 4. num. 15. P. Vasq. 3. p. q. 94. art. 1. dub. 5. Dian. 4. p. tract. 4. Resol. 241. & 3. p. tr. 4. Resol. 70. & alii.* Primò, quia ex communi praxi Ecclesiæ pœnitentes non se accusant, quod pœnitentiam impleverint in peccato mortali, neque Confessarii de eo interrogant. Secundò, quia satisfactio, ut ex dicendis constabit, non confert gratiam ex opere operato, sed solam remissionem pœnæ; atque ea, quæ non conferunt gratiam ex opere operato, possunt sine peccato suscipi, & exerceri in statu peccati; ergo &c.

57. Dico 2. Satisfactio Sacramentalis non confert suum effectum homini illam implenti in statu peccati. Ita *Caiet. tom. 1. opuscul. tract. 6. q. ult. Navar. de pœnit. dist. 6. Victor. Petr. Sor. P. Hurt. cit. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 38. sect. 8. n. 5. P. Lugo cit.*

*num. 40. P. Aegid. d. 10. dub. 11. num. 96. P. Henric. lib. 5. cap. 8. n. 3. & cap. 20. n. 7. P. Preposit. in 3. p. q. 12. dub. 6. n. 82. P. Soar. Lysit. cit. n. 118. Bonac. q. 6. sect. 1. punct. ult. n. 16. & alii.* Probatur, quia homo per peccatum fit indignus omni bono; ergo etiam fructus, sive remissione pœnæ, quæ est effectus hujus satisfactionis.

Confirmatur primò, quia fructus, sive effectus satisfactionis Sacramentalis est aliquo modo supernaturalis, cum sit in ordine ad præparandum hominem ad finem supernaturalem, nempe ad gloriam obtinendam; ergo solum confertur illi, qui actu ordinatus, & preparatus est ad talem finem; sed non ita se habet homo dum est in peccato; ergo &c. Secundò ab inductione, tam in aliis operibus, quam in Sacramentis, quæ si homo in peccato suscipiat, non consequetur eorum effectum; sive remissionem alicujus pœnæ temporalis, licet reatum aliquem ex peccatis prius remissis habeat; ergo &c. Neque dicas remissionem pœnæ non fieri per infusionem gratiæ, sicque posse compari cum statu peccati: Non, inquam, hoc dicas, licet enim sic possit compari physicè, non tamen potest compari moraliter.

Hinc sequitur, satisfactionem Sacramentalem ex malo fine impletam, nempe ex vana gloria, non conferre suum effectum, etiam si illum præstet ex opere operato. Et ratio est, quia, ut illum confert, debet sumi ut satisfactio; siquidem talis effectus solum promittitur operi satisfactorio; sed posito illo fine pravo, jam satisfactio non habet formalem rationem satisfactionis; siquidem satisfactio, ut vel ipsum nomen indicat, dicit opus factum in obsequium personæ offensæ, & in compensationem injuriæ illatæ; non autem ita fit, si fiat ob pravum finem; tunc enim non fit intuitu personæ offensæ, neque in compensationem injuriæ illatæ, sed in gratiam ejus, cui vult placere, & quem sibi finem proponit; ergo &c.

Dices 1. Baptismus, (siquidem de confessione,) ex fine venialiter peccaminolo susceptus non privatur suo effectu ex opere operato; ergo neque sic privabitur satisfactio ex tali fine impleta. Respondedo negando consequentiam; diversa ratio est, quia circumstantia venialiter peccaminola non tollit naturam Baptismi, neque etiam Pœnitentiæ: tollit verò rationem satisfactionis, ut patet ex dictis.

Dices 2. Opus Sacramentale, qualis est hujusmodi satisfactio, non sumit suam bonitatem à persona operante, sed à Christo principaliter agente; ergo licet prout procedit à persona sic operante, non conferat suum effectum, illum præstabit prout procedit à Christo Domino. Respondedo opus Sacramentale, licet non spectetur secundum bonitatem, quam habet à persona proximè operante; spectari tamen secundum conditionem ab institutore requisitam: cum verò hæc satisfactio sit, ut opus fiat ex fine, & intentione satisfaciendi, & placendi personæ offensæ, satisfactio, quæ alium respicit finem, non habet rationem satisfactionis, ideoque mirum non est, quod ut talis non acceptetur.

Dico 3. Satisfactio Sacramentalis in peccato impleta, eo sublato per subsequentem pœnitentiam, operatur suum effectum. Ita *Navar. Victor. Caiet. P. Soar. d. 38. sect. 8. num. 5. P. Aegid. d. 10. dub. 11. P. Lugo d. 25. de pœnit. n. 41. P. Laym. lib. 7. tract. 6. cap. 15. n. 15. P. Fagund. pr. 2. lib. 9. cap. 4. num. 9. Dian. 3. p. tract. 4. Resol. 85. P. Reginal. lib. 7. n. 9. & 10. & 84. P. Soar. Lysit. tr. 8. de pœnit. d. 2. n. 120. & P. Henric.*

P. Henric. lib. 5. cap. 20. n. 7. P. Sa. verb. Satisfactio n. 7. P. Filliu. tract. 8. cap. 2. q. 9. n. 57. Bonac. q. 5. sect. 3. punct. ult. num. 17. Zerola. Rodrig. & alii. Probatur primò, quia satisfactio Sacramentalis est pars integrans Sacramentum Pœnitentiæ; sed hoc operatur suum effectum, recedente fictione, ut infra dicemus; ergo etiam sic operabitur satisfactio; videtur enim conveniens, ut pars imitetur rationem totius, quod integrat.

63. Dicent, dari diversam rationem ad reviviscentiam Sacramenti Pœnitentiæ ad suum effectum, & non ad reviviscentiam satisfactionis ad suum; siquidem Sacramentum est omninò necessarium ad remissionem culpæ: non ita verò satisfactio ad remissionem pœnæ; nam licet hæc non remittatur per talem satisfactionem, poterit tamen homo per alia opera satisfactoria se ab illo onere liberare. Sed contra primò, quia licet homo ita se possit liberare per alia opera à pœna temporalis, à qua poterat per satisfactionem liberari, hoc non tollit, quominus satisfactio, cum sit pars integrans Sacramentum Pœnitentiæ, induat ejus rationem; ergo sicut hoc, recedente fictione, præstat suum effectum, ita etiam suum præstabit satisfactio.

64. Secundò, quia etiam Sacramentum Pœnitentiæ cum fictione, seu obice suscipitur, quando postea reviviscit, supponit culpam remissam per subsequentem contritionem, aut attritionem cum alio Sacramento; & tamen licet tunc non sit omninò necessarium ad remissionem culpæ, nihilominus reviviscit ad suum effectum præstandum ex opere operato; ergo etiam sic poterit reviviscere satisfactio ad præstandum suum effectum ex opere operato, licet non sit omninò necessaria ad remissionem pœnæ, quatenus hæc per alia opera præstari potest.

65. Probatur secundò, quia hujusmodi satisfactio, licet prout est actus hominis existens in peccato, sit opus mortuum, prout tamen est opus Sacramentale, & applicatio satisfactionis, seu meritum Christi, semper est opus vivum; siquidem prout sic semper est in acceptatione divina, solumque est quodammodo mortificatum ratione subjecti, ita ut non possit in eo præstare suum effectum ratione præsentis impedimenti; ergo illo sublato, statim suum effectum præstabit.

66. Dicent, licet opera, & satisfactio Christi Domini, quæ nobis applicantur, semper ex se habeant eundem valorem, & mereantur eandem acceptationem apud Deum; cum tamen ex parte subjecti, cui applicatur, detur impedimentum, ratione illius non acceptari actu ad eum satisfactionis effectum; siquidem Christus Dominus noluit illa actu applicare, nisi pro illis, qui actu sunt illius membra per gratiam sanctificantem, quam non habet homo in statu peccati; ergo cum satisfactio Christi Domini ei non applicetur, neque ejus opera acceptentur à Deo, adveniente gratia, non reviviscunt; siquidem sola illa opera reviviscunt, quæ fuerunt viva, & à gratia procedentia, & quæ prout sic fuerunt à Deo accepta. Sed contra, quia hoc idem argumentum fieri potest contra reviviscentiam Sacramentorum, recedente fictione, ut consideranti patebit; & tamen eorum reviviscentiam quoad suum effectum præstandum ex opere operato concedunt Adversarii; ergo &c. Adhuc tamen:

67. Difficultas 1. sit: Qualisnam sit hic effectus, quem præstat ex opere operato satisfactio Sacramentalis? Dico 1. Satisfactio Sacramentalis habet aliquem gratiæ effectum. Ita P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 38. sect. 2. num. 1. & alii. Probatur, quia  
Tom. 2.

si hæc satisfactio nullum haberet effectum virtute clavium, non esset majoris virtutis, & efficacis, satisfactio Sacramentalis, quam non Sacramentalis; neque etiam esset ulla ratio, cur pars Sacramenti diceretur, hoc autem est absurdum; ergo &c. Confirmatur primò, quia hæc actio aliquo modo procedit à potestate solvendi, & remittendi peccata, sacerdoti per confessionem subjecta; ideoque ex Christi institutione applicantur ejus merita, & satisfactio speciali modo per hanc partem Sacramentalem, quod indicat Trid. sess. 14. cap. 3. dum dicit Confessionem, Contritionem, & Satisfactionem esse partes, quatenus ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex divina ordinatione requiruntur; ergo &c. Secundò, quia hujusmodi satisfactio, cum sit pars Sacramenti, necesse est, ut habeat aliquam significationem propriam, & Sacramentalem; atqui signa Sacramentalia novæ legis sunt efficacia; idem enim efficiunt, quod significant; ergo necesse est, ut hæc pars aliquem proprium effectum habeat ex opere operato, illum scilicet, quod Sacramentaliter significat.

68. Dico 2. Satisfactio Sacramentalis ex opere operato causat etiam remissionem alicujus pœnæ temporalis, præter illam, quæ respondere posset ex opere, seu merito operantis. Ita D. Thom. quodlib. 3. art. 28. Caiet. tom. 1. opuscul. tract. 6. q. ult. Can. Relect. de pœnit. p. 5. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 38. sect. 2. n. 2. P. Lugo d. 25. de pœnit. n. 16. P. Hurt. d. 14. diff. 12. P. Vasq. 3. p. quest. 94. art. 2. dub. 5. P. Soar. Lustr. tract. 8. de pœnit. d. 2. n. 112. P. Egid. d. 10. dub. 10. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. num. 24. Diana 3. p. tract. 4. Res. 70. & alii. Probatur primò, quia hæc pars Sacramenti, nempe satisfactio, eodem modo ordinatur ad remissionem pœnæ, quo aliæ partes, nempe Contritio, Absolutio, & Confessio ordinantur ad remissionem culpæ; sed hæc remittunt culpam ex opere operato; ergo etiam illa ex opere operato remittet pœnam.

69. Probatur secundo, quia satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ præcipue instituta ad remissionem pœnæ temporalis; ergo per se primò debuit institui ad illam remittendam ex opere operato. Confirmatur primò, quia totum hoc Sacramentum est institutum ad remissionem peccati quoad culpam, & quoad pœnam ex opere operato; sed hæc pars non ordinatur ad remissionem culpæ; ergo ad remissionem pœnæ; ac proinde aliquid pœnæ remittet ex opere operato. Secundò, quia hæc pars Sacramenti hunc maximè effectum significat; cum sit quædam punitio peccati, & commutatio pœnæ vitæ futuræ in talem pœnitentiam; sed Sacramenta novæ legis efficiunt, quod significant; ergo cum maximè significet remissionem illius pœnæ, illam efficit ex opere operato.

70. Dicent, hunc effectum esse communem omnibus Sacramentis. Sed contra primò, quia hoc incertum est, licet piè credatur. Secundò, quia eo dato, nulli quasi per se, & ex directâ institutione suâ convenit, sicut convenit pœnitentiæ Sacramento, & maximè ratione hujus partis.

71. Difficultas 2. Utrum hæc pars Sacramenti conferat etiam sive causet ex opere operato aliquam gratiam gratum facientem? Negativam sententiam indicat D. Thom. in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. q. 2. ad 3. & tenent Palacios ibid. q. 1. P. Vasq. 3. p. q. 94. art. 2. dub. 5. P. Egid. d. 10. de pœnit. dub. 10. Ochagan. q. 7. P. Hurt. d. 14. diff. 13. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 8. n. 22. & apud illum P. Valent. P. Henric. P. Preposit. 3. p. q. 12. dub. 6. P. Lugo d. 25. de pœnit. num. 2.

quos citat, & sequitur P. Soar. *Lusit. tract. 8. de penit. d. 2. num. 109.* Fundantur primò, quia hæc pars solum est instituta ad remissionem poenæ; sed ad hunc effectum non est necessaria infusio gratiæ; siquidem per sacrificium Missæ remittitur poena, licet non infundatur gratia; ergo &c.

72. Fundantur secundò, qui per unum Sacramentum una gratia sacramentalis confertur; sed hæc in hoc Sacramento confertur, quando fit absolutio; ergo per satisfactionem postea nulla alia gratia sacramentalis confertur. Tertio, quia aliàs implere poenitentiam in statu peccati mortalis, esset peccatum mortale propter obicem, qui poneretur ejus effectui; sed hoc est contra communem praxim, & sensum fidelium; siquidem nullus de tali peccato se accusat, neque Confessarii de eo interrogant, ut supra diximus; ergo &c. Quartò, quia si satisfactio esset pars Sacramenti conferens gratiam, cum postea impleteret in statu peccati simul cum attritione justificaret; siquidem homo per Sacramentum, quod gratiam confert, ex attrito fit contritus; ac proinde per coronam Beatæ Virginis à Confessario impositam justificaretur; hoc autem est contra communem sensum fidelium; ergo &c.

73. Nihilominus contrariam sententiam affirmativam tenent expressè D. Thom. 3. part. q. 90. art. 2. ad 2. Cajet. *ibid. Sot. in 4. dist. 17. quest. 1. art. 2. Joan. à Cruce in Direct. part. 2. quest. 1. dub. 4. Conclus. 2. Ledesin. tomo 1. sum. cap. 1. dub. 2. P. Turrian. in Selectis part. 2. d. 31. dub. 22.* addens, contrariam sententiam non solum nõ esse probabilem, sed esse temerariam. P. Soar. *tomo 4. in 3. part. d. 38.* dicens, rem sibi utrinque dubiam esse, cum pendeat ex institutione, quæ nullâ sufficienti autoritate habetur, & conjecturæ pro utraque parte sint probabiles: magis tamen sibi placere partem favorabiliorem, quæ affirmat: illud quæ certius videri, per satisfactionem conferri ex opere operato, saltem aliquam gratiam actualem præservantem, seu adjuvantem ad emendanda peccata; siquidem cum hæc pars propter hunc finem sit primariò instituta, non videtur dubium, quin illi sit data virtus adjuvans hunc finem: quod etiam tenent P. Hurt. P. Tanner. & P. Agid. *cit.* quidquid in contrarium dicit P. Soar. *Lusit. cit. num. 111.*

74. Hinc concludit P. Soar. *cit.* probabile esse dari aliquam gratiam gratum facientem. Probatur primò, quia in effectu Sacramentali semper hæc duo conjuncta sunt, ut constat ex doctrina de Sacramentis in genere; ergo &c. Secundò, quia satisfactio sacramentalis est pars Sacramenti Poenitentiae; sed Sacramenta novæ legis causant gratiam; ergo satisfactio aliquid gratiæ confert. Tertio, quia si homo tempore absolutionis, exhibeat omnia opera satisfactionis, & sit melius dispositus ad Sacramentum consummandum, majorem effectum gratiæ ex opere operato recipiet, ut constat ex doctrina de Sacramentis in genere; sed satisfactio, licet tempore posteriori fiat, moraliter tamen conjungitur cum aliis partibus, & cum illis unum Sacramentum constituit; ergo totum illud Sacramentum conferet majorem gratiam; consequenter quæ aliquid gratiæ per satisfactionem infundetur, quod antea datum non erat. Quartò, quia satisfactio non solum est in vindictam, & remissionem poenæ, sed etiam, ac præcipue in curationem, & medicinam; atqui ad hunc effectum maximè necessaria est gratia; ergo &c.

## SECTIO IV.

Quadam aliæ difficultates circa præcedentem doctrinam proponuntur, & resolvuntur?

**D**IFFICULTAS 3. Quandonam uterque hic effectus conferatur? Prima sententia asserit, statim ac poenitentia imponitur à Confessore, incipere habere suum effectum, antequam executioni mandetur; siquidem ipsamet actio Sacerdotis habet aliquam efficaciam circa hunc effectum. Ita *Alens. 4. part. quest. 8. membr. 2. art. 3.* Non placet si sermo sit de effectu, quem præstare debet ipsa satisfactio, ut ex dictis constabit. Unde:

Advertes, suppositâ dispositione poenitentis, & acceptance, ac proposito implendi satisfactionem impositam, verum esse per absolutionem Sacerdotis remitti ex opere operato, non solum culpam, & poenam æternam, sed etiam aliquid poenæ temporalis, ut docet P. Soar. *tomo 4. in 3. part. d. 38. sect. 2. num. 4.* siquæ ratione Sacramenti suscepti remissus puniti hominem in Purgatorio, etiam si moriatur ante impletam poenitentiam. Et in hoc sensu veram esse sententiam proximè positam non dubitamus. Si verò loquatur de poena, quæ manet tollenda per satisfactionem, dicimus sustinendam non esse prædictam sententiam. Igitur:

Secunda sententia, quam sequimur, tenet, hujusmodi effectum non præstari, donec integrè, aut ex parte exhibeatur satisfactio. Ita P. Soar. *cit. n. 4.* Probatur, quia satisfactio sacramentalis, cum sit pars Sacramenti, illud sequitur in præstando suo effectu ex opere operato; sed Sacramentum non habet suum effectum ex opere operato, donec re ipsa suscipiatur; ergo neque suum habebit satisfactio imposita, donec re ipsa impleatur.

Difficultas 4. Qualiter necessaria sit satisfactio sacramentalis ad hujusmodi effectum præstandum? Prima sententia docet, satisfactionem sacramentalem semel impositam ita esse necessariam ad tollendum reatum in Sacramento relicto, ut in hac vita per alia opera satisfactoria tolli non possit. Ita *Adrian. quest. 1. de clavib. dub. 2. ad finem.* Hanc sententiam, nec veram, nec probabilem dicit P. Soar. *cit.* Unde.

Secunda sententia contraria tenenda est cum eodem P. Soar. *tomo 4. in 3. part. d. 38. sect. 2. n. 4.* Probatur primò, quia impositio poenitentiae sacramentalis non abstulit aliis operibus vim suam satisfactoriam, quam antea habebant; sed antea poterat homo per illa satisfacere pro tali reatu; ergo etiam postea. Secundò, quia licet poenitens teneatur satisfactionem implere, prout supra diximus, si tamen, aut non possit, aut antequam urgeat tempus obligationis, alia opera faciat, poterit per illa purgari, solum ex opere operantis, aut ex opere operato, si alia Sacramenta recipiat; ergo &c.

Difficultas 5. Utrum si quis per contritionem dispositus, & justificatus poenitentiam impleat, antequam absolvatur, statim habeat suum effectum ex opere operato? Negative. Ita P. Soar. *tomo 4. in 3. part. d. 38. sect. 2. num. 5.* Probatur primò, quia Sacramentum non incipit habere suum effectum, donec est essentialiter consummatum per formam, ut patet inductione in omnibus Sacramentis, sed Sacramentum Poenitentiae essentialiter consum-